

Maximalinus Sandæus, in *Gemma mystica*.

Franciscus de la Croix, in *Hortulo Mariano*.

Paulus Barry, in *Paradiso aperto*.

Philippus D'Outreman, in *Pædag. Christ.* c. xxvi, par. II.

Jeremias Drexelius, in *Rosis Marianis*.

Joanne Nadasi, in *Anno hebdomadarum celestium*, et in *Anno Mariano*.

HYPOCRISIS.

QUOD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est simulatio, qua quis se justum simulat, vel justiorem, quam sit. Estque quoddam facti mendacium, crimen mortale involvens, si finis et intentio simulantis sit contra charitatem. *MARCH.* in *Tuba Sac.* tr. I, lect. 5. Desumptum autem hoc nomen est, teste S. Thoma, a specie eorum, qui in spectaculis contacta facie incedunt, modo in specie viri, modo in specie femine, ut in ludis populam fallant S. Th. II, II, q. III, ar. 2. Et consentiens S. Basilii: Hypocrita, inquit, vocatur histrio, quia in theatro personam sustineat alienam, sepe heri, cum sit servus, aut regis, cum sit privatus. Itidem in hac vita perique vitam suam velut in proscenio ad ostentationem componunt aliud in corde gerentes, aliud in specie et hominum oculis præferentes.

DIVISTO. — Dividitur a Stapletono in *Externam* et *Internam*. Illa est, qua sola rectitudo externa, neglecta interna et vera cordis justitia quaeritur, de qua Christus locutus est cum dixit: Quaecumque dixerint vobis, facite, secundum opera eorum nolite facere. *THOM. STAPL.* in *Dom.* v, post *Pent.* Illa est, qua in omni virtutis genere laus et gloria humana captatur, de qua idem Christus dixit: Vae vobis Legis peritis, quia tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, et eos, qui introibant, prohibuistis. *LUC.* xi, 52.

ACTUS. — Primus est, sub pietatis nomine lucrum quaerere.

Secundus, exterius amicitiam simulare, et animo odium invidiamque fovere, juxta

illud Davidis; Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum, labia dolosa in corde locuti sunt. *PS.* xi, 3.

Tertius, in publico se justum ostendere, in occulto gravia scelera committere.

Quartus, consilium quid alteri, ad commodum illius tendens, et iterum suum bonum unice quaerere.

Quintus, in parvis rebus servandis anxium et sollicitum esse, grandium vero nullam aut exigentiam curam habere.

Sextus, exterius humilitatem præferre, et interius gloriam et laudem humanam sectari. *MARCH.* tr. I, *Tuba Sac.* lect. 5.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. *MAR.* v, 6.

Alligant onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea movere. *MATTH.* xxiii, 4.

Hoc scio a principio, ex quo positus est homo super terram, quod laus impiorum brevis sit, et gaudium hypocritæ ad instar puncti. *JOB.* xx, 5.

FUGA. — Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. *LUC.* xi, 1.

Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, et non scandalizeris in labiis tuis. *ECCLES.* i, 37.

Deponentes omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, sicut modo geniti infantes; rationabiles, sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem. *I. PETR.* ii.

DAMNUM. — Numquid vivere potest scirpus absque humore, aut crescere carectum sine aqua? Sic vite omnium, qui obliviscuntur Deum, et spes hypocritæ peribit. *JOB.* viii, 13.

Simulatores et callidi provocant iram Dei, neque clamabunt, cum vincti fuerint. *JOB.* xxxvi, 13.

Virum sanguinum et dolosum abominatur Dominus. *PS.* v, 7.

Abominatio Domini est omnis illusor, et cum simplicibus sermocinatio ejus. *PROV.* iii, v, 32.

Congregatio hypocritæ sterilis, et ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. *JOB.* xv, 13.

Non veniet in conspectu ejus hypocrita. *JOB.* xiii, 16.

Partemque ejus ponet cum hypocritis; ibi erit flatus et stridor dentium. *MATTH.* c. xxiv, 51.

Vae vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ foris apparent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia. *MATTH.* xxiii, 27.

Visitabo super omnes, qui induti sunt veste peregrina. *SOPH.* i, 8.

Qui sophisticè loquitur, odibilis est; in omni re defraudabitur, non enim est illi data a Domino gratia; omni enim sapientia defraudatus est. *ECCLES.* xxxvii, 23.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Tanta est hypocritica demencia, ut fœtoribus pro odoribus abutantur, et pretiosa vilia, et aspera suavia arbitrantur, et favorum sapor omnium dulcedinum superet condimenta, omnisque deliciasualitas contrariis delectetur. *S. CYPR.* S. de *Jejun.*

Simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas, quia iniquitas est, et simulatio. *S. AUG.* in *Ps.* xxxvi.

Hi sunt oves habitu, astu vulpes, actu et crudelitate lupi. Hi sunt, qui boni videri, non esse; mali non videri, sed esse volunt. Mali sunt, et boni videri volunt, ne soli sint mali. Mali videri timent, ne parum sint mali. Etenim minus semper malitia palam nocuit, nec unquam bonus, nisi boni simulatione deceptus est. *S. BEAT.* s. 66.

Quid est vita hypocritæ, nisi visio quædam phantasmatis, quæ hic ostendit in imagine, quod non habet in veritate? *S. GREG.* in *Mor.*

Quid dicturi sumus, qui iniqua operibus docemus, et sola voce ea, quæ sunt justa, pretendimus? Ossa jejuniis alterantur, et menle turgemus; corpus despectis vestibus tegitur, et elatione cordis purpuram superamus; jacemus in cinere, et excelsa non aspiciamus, doctores humilium, duces superbie, ovina facie lupinos dentes abscondimus. *Idem.* in *Reg.*

Vult hypocrita scire divina eloquia nec tamen facere, vult recte loqui, nec tamen vivere. *S. GREGOR.* in *Moral.*

TOMUS II.

Hypocrita sanctus esse non appetit, sed vocari. *Idem.* *super Cant.*

Hypocritarum facies rationalis, sed corpus bestiale est. *Idem.* viii. *Moral.*

Hypocrita in cunctis suis operibus nil aliud sperat, nisi reverentiam honoris, gloriam laudis, a melioribus metui, sanctus ab omnibus vocari. *Idem.* lb.

Hypocrisis malum abscondit quod est, et bonum quod non est mentitur. *S. BEAT.* *super Cant.* Serm. xxiii.

Hypocritæ volunt esse humiles sine despectu, bene vestiti sine sollicitudine, delicata pacis possessores sine labore, aliis detrahentes, mordaces ut canes, dolosi ut vulpes, superbi ut leones, intrinsecus autem lupi rapaces, mellis dulcedinem, id est, inanis gloriæ et latentis læsiviæ, ut ursi quærentes; volunt esse sine auctoritate iudices, sine visu testes, postremo falsi accusatores et omni veritate carentes. *Idem.*

FUGA. — Hypocrita, si bonum est, bonum esse, ut quid vis apparere, quod non vis esse? Si malum est, malum esse, ut quid vis esse, quod non vis apparere? Si bonum est, bonum apparere, melius est bonum esse. Si malum est, malum apparere, pejus malum esse; ergo aut appare, quod es, aut esto, quod appares. *S. CHRYS.* *apud Fab.* con. ii, in *Dom.* 22 post *Pent.*

Non indues vestem ex lana linoque contextam; per lanam simplicitas, per linoque subtilitas designatur. Et nimirum vestis, quæ ex lana linoque contextitur, linoque interiorius celat lanamque exterius demonstrat. Vestem ergo ex lana linoque contextam induit, qui in actione vel locutione, qua utitur, intus subtilitatem malitiæ cooperit, et simplicitatem foris innocentie ostendit. *S. GREG.* I. viii. *Mor.*

DAMNUM. — Nulla res sic exterminat bonum, sicut simulatum bonum; nam manifestum malum quasi malum fugitur et cavetur; malum autem sub specie boni celatum, dum non cognoscitur, nec cavetur, sed quasi bonum uscipitur. *S. CHRYS.* hom. xix, in *MATTH.*

Sicut prope summa et divina virtus est, neminem decipere, ita ultimum vitium est, quemlibet decipere. *S. AUG.* in I. lxxxiii, qu. liii.

Si castum me esse simulo, et aliud est in conscientia mea, habeo non gloriam mercenarii, sed supplicia peccatoris. Et in comparatione dnorum malorum levius malum est aperte peccare, quam simulare, et fin-

gere sanctitatem. S. Hier. l. VII, *in c. xvi, Isaiæ.*

Hypocrisis subtile malum, secretum virus, venenum latens, virtutum fucus, tinea sanctitatis. Hypocrisis secreta simulat, prospera fallit, curiosa mentitur, et crudelitate virtutes truncat merone virtutum, jejuniū jejuniū perimit, orationem orationem vacuat, misericordiam miseratione prosternit. Hypocrisis cognata febrī, frigido poculo extinguit ardorem. S. Petrus Canslog. in ser.

Fratres, fugiendum est vulnus, pestilentia cavenda, quæ de remediis creat morbos, conficit de medicinis languorem, sanctitatem vertit in crimen, placationem facit reatum, generat de propitiatione discrimen. Thesaurum, qui non abscondit, prodit. Virtutes prodite non manebunt. Virtutes suos proditores deserunt, suos instant custodire custodes. Idem, in serm. vii.

Væ peccatori terram ingredienti duabus viis! Duabus quippe viis ingreditur, quando et Dei est, quod opere exhibet; et mundi, quod per cognitionem quaerit. S. Greg. l. I *Mor.*

Hypocrita quot vitis est plenus, quasi tot stercorebus in conspectu æterni Iudicis illius pectus foetet. Hypocritarum cora Diabolus tacitus tenet, et quasi quietus ibi dormit, ubi eos, quos possidet, quiescere non permittit. Idem.

EXEMPLA CATHOLICA.

QUALITAS. — Cain per simulationem fratris consortii educens fratrem in agrum, intermiserit in corde fovens crudelissimam interemittit, et quasi Deum facinus horrendum lateret, interrogatus, innocentem se simulavit. GEN. IV.

Joab Amasan officiose salutans, amplectensque amicum more, lethale interea vulnus corpori infligit, misereque perimit. II REG. XX.

Absalon fratrem suum Amnonem diligere et honorare se velle simulans, dum ad convivium invitatur, inebriatum crudeliter occidit. II REG. XIII.

Judas, hypocritarum antesignanus, Christum osculo salutans et Magistrum vocans, perfidiosissime inimicis tradit. MATTH. XXVI.

Herodes Christum infantem se adorare velle simulans devotionem promittit, sed gladium acuit, et malitiam cordis depingit

colore humilitatis; hujus personam representant hypocrite, qui, dum fide Deum quaerunt, illum nunquam merentur invenire. S. CHRYS. *super cap. II Matth.*

Antonius Picens, Religiosus, tantam sibi famam sanctitatis comparaverat, ut omnibus persuasum esset, ei post quadraginta dierum jejuniū, absque cibo et potu transactum, Angelos perinde ut Christo cibum ministrasse; cum tamen interea ille ingentem ceream, cui clam infusa phasianorum, caponum, et similibus gula illecebrarum copia fuerat, ad manum haberet, crassumque ac rotundum cingulum aromatibus infartum portaret, unde vitam furtim sustentabat. Inter execrandas domum blasphemias in Christum et B. Virginem emissas vitam finivit miserime. ENGELGR. *in Dom. 5 post Pent.*

Eccobolus, sophista, Juliano Apostate preceptor, linguam habuit ad omnem hypocritam eruditissimam, velut plicatile cochlear, omni loco usurpandum. Hinc sub Constantio Arianum, sub Juliano Paganum, sub Joviano Catholicum se simulavit. DÆX. p. I. *Phaet. c. xxiv, § 4.*

Pharisæis volentibus Jesum capere in sermone, increpavit eos, dicens: Quid me tentatis, hypocrite? JOAN. VIII.

FCGA. — De Christo, quantopere hoc vitium fugerit, S. Petrus testimonium ferens ait: Qui peccatum non fecit, non inventus est dolus in ore ejus. I PET. II, 22. Patetque amplius ex severa oratione qua hypocriticos Pharisæos, apud S. Matthæum, exagitavit. MATTH. XXIII.

De Jobi averso ab hypocriti animo ipse Deus ad Satan dixit: Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, vir simplex et rectus? JOB, I, 3.

Elezar Machabeus monitus ab amicis, ut simulata carnis porcinae comestione discrimen capitis averteret, respondit, mori se malle, quam tali simulatione malum aliis exemplum relinquere, et per hoc maculam quam excretionem suæ senectuti conquerere. II MACH. VI.

De Nathanaele Christus ipse Apostolis suis dixit: Ecce vere Israelita, in quo dolus non est. JOAN. I, 47.

S. Anastasius, Martyr Persa, rogatus a Duce Persarum, ut vel unico verbo suam religionem inficiaretur simulando, post factas preces respondit: Neque tu, neque alius mihi persuadebitis, ut hoc faciam, nomen-

que Dei mei vel in speciem etiam negem. BUSELUS, *in Pon. V. Hypocr.*

DAMNUM. — Cum ex duobus studiosis pauperibus alter se mortuum simularet, alter eidem adstantes elemosynam a S. Epiphonio peteret pro socio sepeliendo, is, qui mortuum se finxerat, post datam a S. Epiphonio elemosynam vere obiisse compertus est.

Monachus quidam a Fratribus pro sancto habitus, vita cum jamjam ex hac discessurus esset, accedentibus Fratribus, ut monitum salutis acciperent, dixit, se ob hypocritam, qua sanctitatem simulabat, et jejuniare creditus occulte manducabat, Draconi, qui cauda sua genua pedesque colligans caputque ejus ore concludens, animam mox extracturus esset, devorandum datum esse. Quo dicto, statim sine poenitentia obiit. S. GREG. I. IV *Dial. cap. xxxviii.*

S. Gregorius Turonensis narrat, mulierem quandam in Galliis sub specie Religionis vacasse jejuniis, orationibus instituisse, vigilasse constanter, et Sacra loca obiisse, aurumque pro redimendis captivis corrogasse, verum occulte illud in sua cella defodisse. Ob quam causam post mortem damnata, et sepulchro has voces terribili cum ejulatu frequentare audita est: Me miseram, me infelicem, auri consumidor incendio! Post triduum vero aperto tumultu visum est aurum resolutum sulphureæ instar flammæ in os ingredi. S. GREG. TUR. I. I, *de Glor. Mar. cap. cvi.*

Alia quæpiam femina, cum ad sanctitatis famam aucupandam in omni confessione se improbam et gravem peccatricem profiteretur, Confessarius ejus sanctitatem probaturus dixit, se quoque ab aliis hoc ipsum audivisse, tempus proinde esse, ut serio se emendat. Quo audito, illa turbata, irasci, convitia in eos, qui talia spargere ausi essent, jacere incipiens, satis ostendit, non nisi falsam fuisse sanctitatem, quam præseferbat. NIC. LYRÆUS, *Apoph. p. 239.*

Cassianus refert, monachum quemdam peregrinum, cum ad orationem cum aliis faciendam, pedumque abluionem permittebam, a Seraphione Abbate invitatus, utrumque recusaret, indignum se dicens, qui communi cum reliquis Fratribus charitate frueretur; postea vero ab eodem Abbate monitus esset, ne multum evagaretur, sed intra cellam suam quietus permaneret, sibi ipsi attenderet, graviter indignatum,

claro indicio prodidisse, non nisi simulatam fuisse humilitatem, quam prius præsefererat. *Spec. ex. V Fictio.*

Vereticus, Rex Walliæ, cum sæpe a S. Patrio de tyrannide omittenda admonitus, semper emendationem sponderet, et monitiones astu eluderet, orante eodem sancto in vulpem transformatus aufergit, et nusquam amplius comparuit. ENGELGR. *in Dom. 5 post. Pent. § 1.*

Cum Alphonsus, Rex Aragoniæ et Neapolis, esset apud Enariam, in quam una cum victoria Africanum morbum intulerat, et inauditio genere pestis laboraret exercitus; renuntiatur ei, inter ceteros, Antonium Picentem, Ordinis Eremitarum, nobilitatum post mortem hypocritam, per summos cruciatu animam exhalasse, jactando plurima convitia atque blasphemias in Christum Dominum, et Virginem ejus Matrem. Hic est ille Antonius, qui quadraginta dies et noctes jejuniare ferebatur; qui Italiam, Siciliam atque Hispanias compleverat nomine sanctitatis et abstinentiæ, pluribus locis, cella præclusus, et a custodibus observatus, nihil edens aut bibens in previsa ac prætenta cella, in qua nihil, quod vel observare liceret, inesse videretur. Cæterum Angelos ei quotidie ministrare ac confabulari solitus opinabatur. Verum ipsi intus in cella erant candelæ grassiores, exterius quidem et superfusoriæ ceratæ, sed in quibusdam fistulæ cannarum collidebantur farina infartæ, quæ ex contritis phasianorum ac caponum carnibus, saccharo ac aromatibus immixtis condiebantur. Ajunt et cingulum gestasse fistulatum, plenum nectare, quod hypocriticum vocant. His epulis clabuculum vesciebatur, vir habitus æque sanctus et mortalium omnium, qui unquam fuerunt, aut essent, vulgi opinione abstinentissimus. Is igitur, cum Regi renuntiaretur vermiculis et acerbissimo genere mortis assumptus, dixisse fertur: Propterea Deum in hypocritas tantopere seviræ, quod dum homines decipiunt, interponunt Deum ipsum tanquam sceleris mediatorum; ideoque ut plurimum viventes adhuc plecti in oculis hominum, quos Dei nomine fefellissent, ut intelligant mortales, a tali monstro maxime sibi cavendum esse, quod Deum ipsum, nedum post mortem, sed etiam in vita ipsa, habent indubitatum ultorem. ASTON. PANOM. I. II *de Gest. Alph. c. ix.*

In Episcopatu Brixientiensi erat vir quidam

tanta sanctitate et vite puritate præditus, ut perisque videbatur, ut alter Joannes Baptistæ ab illis haberetur. Adco quidem ut ejus nominis fama et celebritate plerique omnes ejus provincie allecti, ad eum velut ad sanctum Dei hominem gregatim confluerent; qui tamen hæretica pravitate infectus erat. Cum autem ille vita functus, et honorificæ sepulturæ demandatus esset, post aliquod tempus, fidei Inquisitor per testes fideles examine diligenti peracto, repetit illum fuisse hæreticum; ideoque de consilio Episcopi et aliorum prudentium virorum, sanctum est, ut ejus cadaver effodere- tur, et ossa igni cremarentur. Populo itaque circumstante, ejus ossa in ignem con- jecta sunt, quæ mox Dæmones ex eodem igne in aërem attollentes, ea suspensa super ignem tenebant, non tamen illi vide- bantur. Ex quo effectum est, ut populus exclamaret, Episcopum cum suis esse ne- candum, qui invidia sanctum Dei virum exurere præsumpsisset, id Deo nolente ne- que permittente. Qua re exterritum Episco- pum sui bono animo esse deprecati sunt in hæc verba prorumpentes: Domine Episco- pe, ne ultra refrangaris, quæsumus, quan- doquidem hic pro fidei tuitione adsumus; sed ad Sacrum faciendum te potius præpara, visuri experientia ipsa, num Deus aliquod miraculum super hæc re exhibiturus sit, ne fides in discrimen veniat, ac periclitetur. Missa ea fuit de B. Virgine; cumque Corpus Dominicum sursum ab Episcopo levaretur, Dæmones in aere exclamare auditi sunt, hunc in modum: O Guido de Lacha, te huc usque quantum potuimus, defendimus, sed amplius non possumus, quia major nobis adest! Moxque in ignem ossa ceciderunt, et combusta sunt, et fides ab omnibus exal- tata. Ex quo Diaboli dolus facili negotio perpendi potest, qui hæreticum hominem vita functum defendit, quo plures animas decipiat. GABRIEL PRATÆOL. ex Bern. Luxon. *Burgensi in Catal. Heret.*

EXEMPLA PROFANA.

Ptolomæo, Regi Ægypti, quia discendi cupidus videbatur, adulatores ei familiares de lingua, de versiculo, de historiola digla- dantes, ad mediam usque noctem relucta- bantur; ad vero sævientis, ferocientis, vecti- galibus populum oneranti, nullus e tam

multis resistere ausus est. PLUTARC. lib. de *Discrim. adult. et amic.*

Anacharsis, Seytha, de Græcis notavit, quod præclare loquerentur, et nihil facerent, ideoque similes essent illis, qui numismate ad nihil aliud, nisi ad numerandum, ute- rentur. Idem, de *Profectu morum.*

Senex quidam in Ludis Olympiis diu multumque inter Græcos perambulans, nec locum inveniens, ad Lacedæmonios tandem pervenit, ubi non solum pueri omnes illi assurrexerunt, verum etiam viri multi lo- cum dederunt. Id factum cum Græci, quot- quot aderant, magno applausu approbas- sent, exclamans senex: Heu miseriam, in- quit, omnes Græci norunt, quid sit honestum, sed eo soli utuntur Lacedæmonii!

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut polypus, cuiuscumque saxo adhæret, illius colorem suscipit, itaque pisces ad ipsum tanquam ad saxa adnatan- tes, capit; ita hypocrita, quod cuique pla- cet, suam omnino sententiam esse dicunt, ideoque evitari facile non possunt, cum pra- vitas eorum fucata et adornata sub pietatis prætextu profunde lateat. S. BASIL. in *Hexam.*

Sicut sepulchrum, quamdiu clausum est, pulchrum videtur, si vero fuerit apertum, horribile est; sic et simulatores honorum, quamdiu non cognoscuntur, laudabiles sunt; cum autem cogniti fuerint, abominabiles inveniuntur. S. CHRYS. hom. xlv in *Math.*

Sicut meretrix, cum nativa pulchritudine destituta est, ad colores, pigmenta, et fucos confugere solet; ita hypocrita, cum specie solidæ perfectæque virtutis careat, adum- brationem quamdam externam pietatis sim- ulat, qua eorum oculos retinet, qui adum- brata virtutis simulatione capiuntur. S. GREG. NAZ. in or. funeb. *Patris.*

Sicut erabro, dum insidet flori, silet, cum avolat, inanoenum murmurat; sic hypo- crita, dum mellis aliquid affunditur, tacet, aut fecte loquitur, cum vero a melle et flore abest, et agresti et barbaro fremitu tumul- tuatur. DREX. in *Phaet.* p. 1, c. xxxiv, § 2. Unde Job ait: Cum dulce fuerit in ore ejus malum, abscondet illud sub lingua sua. Job. xx, 12.

Sicut cygnus plumis quidem candicat,

sed carnem nigram habet duramque; sic hypocrita plumulas verborum habet molli- simas et pulcherrimas, sed animum politia fulgine infectum gerit. Hinc Salomon: Pro- fert mendacia versipellis. Prov. xiv, 25.

Sicut struthio volandi speciem habet, sed usum volandi non habet; sic hypocrita eun- ctis intuentibus imaginem sanctitatis insi- nuat, sed tenere vitam sanctitatis ignorat. S. GREG. I. II *Mor.* c. 1.

Sicut Simon Cyrenæus Christi crucem tulit angariatus, non volens; sic hypocrita alienum onus pro Christo nolens portat, exequens foris, quod intus non amat. S. BEN. in s. de *Benedict.*

Sicut ii, qui moscho indulgent, animam plerumque festentem habent; sic hypocrite, qui plurimam pietatis speciem exhibent, intus foedissima sordent. LANGIUS, in *Poly- lyanth.*

Sicut vulpes simulat se mortuam, ut gal- linas capiat secure accedentes; ita hypocrita mortificationem simulat, ut simplicibus imponat, et sub pietatis prætextu prædam ca- piat. STAEL. in *Dom.* 5 *Pent.* tex. 1.

Sicut labrusca colorem habet hirci, sed non saporem; sic opera hypocritarum colorem habent pietatis, sed Deo insipida ac in- grata sunt. Ibidem.

Sicut Patroclus, Achillis arma induens, et equos in pugnam educens, hastam Pelia- cam non ausus est contingere; sic hypocrite verba et voces Sanctorum concinne resonant, facta non attingunt. Ibidem.

Sicut monstruosus est, ut homo habeat majorem linguam, quam manum; sic ejus majora sunt verba, quam opera, præter natu- ram facit. Idem, tex. iv, in *Dom.* II, *Adv.*

DAMNUM. — Sicut, cujus pulchrum est corpus, et deformis animus, magis dolendus est, quam si deforme habeat corpus; ita qui sancte loquitur, et male vivit, magis mise- randus est, quam ejus vila improba verbis respondet. S. AUG. I. IV, de *Doct. Christ.*

Sicut panthera deforme caput abscondit, et reliquum corpus ostendit, ut illius pul- chritudine et grato odore animalia alliciat, et devoret; sic hypocrite multos externa sanctitate alliciunt, sed eosdem interna im- probitate corrumpunt, vel in suum emolu- mentum trahunt. STAEL. text. 1, in *Dom.* 3 *post Pent.*

Sicut luctatoris corpus humiliant, ut alios dejiciant; sic hypocrite seipsos humiliando alios supplantant. Ibid.

Sicut brevis mulleris fucata gratia est, quia habitu populari fucus diffultat, et macula magis apparent; sic qui melioris vite fucum assumunt, facile eam in conversa- tione amittunt, et vitiosi magis apparent. LANGIUS, in *Pol.*

Sicut fœnum tectorum in alto nascitur, sed nequaquam radice solidatur, ideoque mox exarescit; sic hypocrita summa quidem agere cernitur, sed non in eis ex cordis puritate roboratur; quia cum sine intentione rectæ cogitationis bona studeat agere, ea amittens indicat, se sine radice floruisse. S. GREG. I. VIII *Mor.* c. xxviii.

Sicut fermentum totam massam corrumpit; ita hypocrosis universa hominis opera inficit ac perdit.

Sicut in magno mari perniciosiores sunt scepuli, qui brevi aqua operi tristem ac cæcum et miserabilem non observantibus inferunt interitum, quam rupes eminentes, utpote quas nautæ facile vitare possunt; sic hypocrite, qui in animi recessibus et late- bris malignam retinentes speciem pietatis foris ostendunt, tetriores et capitaliores sunt improbis illis, qui sunt ab omni virtutis simulatione alieni, quoniam horum pestem facile poteris fugere, illos autem non facile potes devitare. HECTOR PRINUS, in c. IX, *Isaie.*

MOTIVA.

Quia *diabolicum* est vitium; nam huic pro- prium est in Angelum lucis se transformare, uti Apostolus testatur (II Cor. xi, 14), ideo- que mendax et pater mendacii a Christo vocatur. JOAN. xix.

Quia *odiosissimum* est vitium. Quis enim non odit et debetatur Judam fallaci osculo Christum inimicis prodentem? Quis non Ju- das prætorium, ne contaminarentur, in- gredi metuentes, et tamen gravissimo secle- re mortem Christo procurare non verentes? Atqui his similia, imo majora crimina hypo- critæ committunt.

Quia *inexcusabile* vitium est; nam, ut S. Gregorius sapienter dixit: Hypocritæ ante districtum Judicem excusationem de igno- rantia habere non possunt, quia, dum ante oculos hominum omnem modum sanctitatis ostendunt, ipsi sibi sunt testimonium, quia bene vivere non ignorant. S. GREG. I. X *Mor.*

Quia *perniciosum* admodum vitium est;

quia, teste S. Chrysostomo, nulla res sic extermiat bonum, sicut simulatio; nam manifestum malum quasi malum fugitur et cavetur; malum autem sub specie boni celatum, dum non cognoscitur, nec cavetur, sed quasi bonum suscipitur. Sic servi Diaboli tunc pessime Christianitatem corrumpunt, quando se simulant Christianos, de quibus Christus monet suos et nos: Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Quia magna virtus hominum est cognoscere malum, et firma tutela salutis est scire, quem fugias. S. CURS. in c. vii. *Math.*

Quia *duplicitatum* vitium est; nam, ut supra ex S. Augustino dictum est, simulata æquitas est duplex iniquitas, quia iniquitas et simulatio; et præterea hypoerita duas inordinatas actiones committit, intendendo scilicet finem malum, et opus bonum ad talem finem ordinando. S. AUG. in Ps. xxxii.

Quia *curatu difficilimum* est vitium; tum quia hypoerita fateri culpas suas nolunt; tum quia corrigi recusant; nam teste S. Gregorio, paratores sunt mori, quam redargui. S. GREG. in *Moral.*

Quia *vānum et inutile* vitium est; nam hoc ipso, dum per illud opera mala intentione fiunt, vacua et inania redduntur; unde non male ejusmodi opera pomis juxta Mare Mortuum crescentibus comparantur, quæ extrinsecus quidem speciosa sunt, interius vero omni succo carent, et, si vel modice tangantur, in cineres vertuntur. FAB. con. ii. in *Dom. 22. post. Pent.*

MEDIA.

Considerare, quantopere hoc vitium quovis hominem deceat; si enim quodvis oris mendacium adeo detestabile videtur homini ingenuo, ut nihil gravius ei accidere queat, quam si pro homine mendaci habeatur; quanto magis hypoerisis, quæ facti mendacium est, dedecere hominem ingenuum credatur?

Perpendere, quantopere Deo abominabile sit hoc vitium; id quod vel ex ipsius Christi testimonio colligi poterit, qui nullum aliud vitium tantopere exagitavit, totiesque vae ingeminavit, quam super hypoerisim, et simulationem Pharisæorum.

Considerare ruborem, quem aliquando sustinebant hypoerite, si remota fictionis persona eorum malitia detegeretur. Si enim olim Senatores Romani a Nerone in theatro facie personata saltare jussi, quia ad ejusdem Imperatoris mandatum a satellitibus larva adempta sunt, tam ægre tolerunt hanc prostitutionem, ut aliqui illorum præ dolore mortui sint; quantum ruborem et dolorem sentient hypoerite, si coram toto mundo dolosa illis larva a Deo ipso detrahatur!

Considerare, quod nihil minus obtineant hypoerite, quam quod intendunt; cum enim omnis eorum intentio eo feratur, ut magnam sibi apud homines opinionem comparent, plerumque justo judicio Dei contingit, ut vel maxime displiceant, sique impleatur, quod S. David prædixit: Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent; confusit sunt, Deus sprexit eos. Ps. lxxvi. 6.

Considerare, quod, ut sapienter Cicero dixit, compendiarium via ad gloriam sit, ut quis quisque haberi vult, talis sit; sic enim ad veram sanctitatem comparandam incitabitur, atque per hanc sibi non modo temporalem, sed æternam etiam gloriam comparabit. CICERO l. I. de *Offic.*

Considerare, quam vānum sit gaudium, quod ex aliorum opinione de nostra sanctitate concipitur; cum omnis gloria Filie Regis ab Intus sit; et, ut bene Thomas Kempensis dixit, nemo sit sanctior, si laudatur; nec vilior, si vituperatur. Sed hoc sit, quod est; nec major dici valeat, quam Deo teste sit. THOM. KEMP. l. II. c. vii. § 3. Unde recte monuit S. Augustinus: Nemo se falsa spe circumveniat, quia Christiani nominis non facit sola dignitas (aut opinio hominum) Christianum, nihilque prodest, quod aliquis Christianus vocetur in nomine (aut æstimeretur) si hoc non ostendat in opere. S. AUG. s. xxxviii. de *Sanctis.*

ASCETICA.

De hoc vitio tria potissimum scienda sunt Ascetæ. 1. Quam infestum sit non modo Sæcularibus personis, sed Religiosis etiam et perfectionis studium profitentibus, et quidem tanto magis, quanto magis sciunt, suæ professionis esse sanctitatem proferri. Certe Sanctus Hieronymus aperte dixit: Quamvis aliis vitiis carere possimus, hypoerisios tam

men maculam habere non posse, aut paucorum est, aut nullorum. S. HIER. l. II. *contra Pelag.* Nec dissentit S. Augustinus dicens: Quam multos hypoeritas sub habitu Monachorum usquequaque dispersit callidissimus hostis, circummeantes provincias omnes petunt, omnes exigunt, aut sumptus lucrose egestatis, aut simulatæ præfium sanctitatis. Voluit (ut S. Bernardus alicubi distinctius explicat) humiles esse sine despectu, pauperes sine defectu, patientes sine tribulatione, obediētes sine coactione, pœnitentes sine afflictione, virtuosos sine labore, abstinentiam præferre, et pasci delicate, bene vestiri sine sollicitudine, laudari sine virtute, amari sine bonitate, honorari sine sanctitate. S. AUG. de *Oper. Monach.*

Alterum est, ut bene cognoscere student hoc vitium; nam, ut sapienter Sanctus Basilius advertit, qualibet virtutis janua simillimam in vitia ferentem utrinque speciem aperit; ut, qui ad virtutem ingredi nititur, ejus primum januæ assistens, dum hanc se pulsare arbitratur, aperta sibi lineæ aut inde altera ex viliorum januis deceptus maxima similitudine ingrediatur, veluti virtutis domum. Hinc audax et temerarius habebit fortis; prodigius liberalis; avarus abstemius ac temperans etc. S. BASIL. l. de *Virg.* Ut ergo hanc fraudem cognoscat, duo poterit indicia attendere. 1. *Perseverantiam;* nam, ut S. Ambrosius sapienter dixit: Nihil simulatum et fictum diuturnum esse potest; in principio vernat, in processu tantquam flosculus dissipatur et solvitur. S. AMBR. l. II. *Offic.* Et, ut Seneca ait: Nemo potest fictam personam diu ferre; ficta in naturam suam cito recidunt. Quibus autem veritatis subest, quæque ex solido nascuntur, in majus meliusque procedunt. SENECA, ad *Nerone.* Id quod Stapletonus apta similitudine declarat dicens: Inter veram ovem et lupum in vestitu ovis hoc discrimen est, quod vera ovis, si tondeatur, semper tamen lanam gerat, quia hæc in proprio et naturali subjecto facile denuo succrescit; at vellus, quo se vestit lupus, si tondeatur, nunquam denuo succrescit, sed statim se prodit lupus. 2. *Tribulationes;* nam, ut S. Augustinus recte dixit: Cum coeperint aliquibus tentationibus ea ipsa vel subtrahi, vel negari, quæ isto velamine consecuti sunt, vel consequi cupierunt, tunc necesse est, ut appareat, utrum lupus sit in pelle ovina, an ovis in sua. Id quod in fucata facie cernere est,

quæ, si calida aqua ablatur, mox decorem suum amittit, et fœditatem ostendit; cum tamen facies, quæ propriam habet paucitatem, per ejusmodi perfusionem pulchrior efficiatur. S. AUG. in c. vii. *Math.*

Tertium est, ut pariter bene apprehendat, quantopere hoc vitium Deus in omnibus quidem hominibus, sed præcipue perfectionis studiosis, detestetur; id quod Deus ipse in Apocalypsi S. Joannis ostendisse videtur, dum eidem præcepit, ut Angelo Laodiceæ Ecclesie scribat: Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus (id quod proprium est hypoeritarum) utinam frigidus esses, aut calidus; sed quia tepidus es, et nec frigidus, nec calidus, incipiam vomere te ex ore meo. APOC. v. 15. Rationem vero hujus displicentiæ reddit S. Gregorius dicens: Hypoerita, cum per accepta bona in sua laude se elevent, ipsis muneribus contra Largitorem pugnant; inde quippe contra Largitorem superbiunt, unde ei amplius humiles esse debuerunt. Sed eo postea sententia districtior illos percutit, quo nunc ingrati magis ea recipiunt, et itque eis amplitudo muneris incrementum damnationis. Ideo scirpo comparantur, qui exterius viret et crescit, intus vacuus est. S. GREG. l. VIII. *Mor.* c. xxvii. Unde Alphonsus Rex audiens Antonium Piconam, Ordinis Eremitarum, magnum hypoeritam, jactando blasphemias in Christum et Matrem, vermiculis absumptum perisse, dixisse fertur, propterea Deum tantopere in hypoeritas sævire, quod, dum homines decipiunt, interponant Deum tantquam sceleris mediatorem; ideoque ut plurimum viventes adhuc plecti in oculis hominum, quos Dei nomine fefellissent, ut intelligant mortales a talibus monstris maxime cavendum esse, quod Deum ipsum non tantum post mortem, sed etiam in ipsa vita haberent indubitatum ultorem. ÆNEAS SYLV. de *Dictis Alph.*

CONCEPTUS PRÆDICABLES.

Etsi Ludovicus Granatensis, in *Sylva locorum communiæ* de hoc vitio agens, recte notet, cum hoc nostro sæculo ne veræ quidem virtuti magnus honor tribatur, atque adeo non habeant ambitiosi homines causam induendi falsam virtutis imaginem, non esse, cur modo tantopere concionatores in

hypocritas invehantur, præsertim cum vulgus audit hoc nomine non veros hypocritas, sed viros pietatem colentes intelligat, sicque fiat, ut huiusmodi doctrina pii animi contrahant, improbi vero cristas erigant et triumphent, et suam quodammodo causam agi arbitrentur; (LUD. GRANAT. in *Silva loc. com.* fol. 603) tamen quia constat, plerisque Christianos nomen potius, quam qualitates veri Christiani gerere, non obicit, si ad fervorem ipsorum excitandum etiam de hoc vitio quandoque concio instituat. Itaque

Ex occasione thematis: « Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium; intrinsecus autem sunt lupi rapaces » (MATTH. VII, 14); possunt hypocrite lupis comparari, simulque indicia ostendi, per quæ a veris ovibus cognoscantur, nempe. 1. *Ex voce*; quia, ut ovis versus terram balans emitit vocem, lupus autem versus celum ululat; ita veri sancti humiliter de se loquuntur, hypocrite se extollunt, suasque dolos prædicant. 2. *Ex cibo*; quia, ut ovis herbis contenta est, lupus vero carnibus, et quidem occulte plerumque pascitur; sic hypocrite suas carnis commoditates, plerumque in occulto quærunt, ne carnales iudicentur; spernant vero spiritalia pascula, quibus perfecti delectantur. 3. *Ex dentibus*; quia, ut lupus dentes acutos atque ad rapinam ac laniam factos habet, non item ovis; ita hypocrite aliorum famam lacerant, non item justi. 4. *Ex conversatione*; ut enim lupus solus, vel cum paucis aliis graditur, oves vero societate gaudent; ita hypocrite fugit societatem hominum, fingens se illorum pravis moribus offendere; non perinde homines boni. 5. *Ex pelle*; nam lupus duplicem gerit, foris ovinam, id est, lanam, quæ, si todetur, non iterum succrescit, ut lana veræ ovis, intus lupinam; ita hypocrite exteriori fictam sanctitatem, interiori malitiam occultant gerunt. Quæ omnia vide fusi apud Fabrum, con. 7, in *Dom. 7, post Pentec.*

Ex occasione thematis: « A fructibus eorum cognoscetis eos; » (MATTH. VII, 16;) possunt hypocrite cum struthione comparari, sicut S. Job eos comparavit. (JOB. XXXI, 16.) 1. Quia sicut struthio volandi speciem habet, sed usum volandi non habet; ita hypocrisis eunetis intentibus imaginem de se sanctitatis insinuat, sed

tenere vitam sanctitatis ignorat, teste Sancto Gregorio, in loco citato 2. Quia, sicut struthio derelinquit ova sua in terra, et obliviscitur, quod pes concelet ea, antea bestia agri conterat, et duratur ad filios suos, quasi non sint sui; ita hypocrite ova honorum operum cum dolore parit, ea tamen ab inani gloria eripi sibi sinit, nec fovet ova sua, id est, opere non complet. 3. Quia, sicut struthio latere se existimat, si collum frutice occultet; ita hypocrite stulte arbitrantur, se suamque hypocrisim latere, si se coram hominibus humilient, cum tamen ab oculatis, et tandem ab ipsa etiam plebe cognoscantur. 4. Quia, sicut struthio alas erigit, ut videatur volare; ita hypocrite magna se facit, licet revera non sit. 5. Quia struthio equo quovis est velocior, ideoque cervinos habet pedes; ita hypocrite laborem animo timido declinat. 6. Quia, sicut struthio venatorem fugat, et a se repellit, lapides pedibus versus illum proficiendo; ita hypocrite calumniantes se lapidibus calumniarum fugant. Vide hæc omnia fusi apud Fabrum, con. 7, in *Dom. 7, post Pent.* n. 5.

Ex occasione thematis: « Non invenio opera tua plena coram Deo meo; » (AROC. III, 2.) possunt alio modo indicia hypocrisis declarari, scilicet per similitudinem vacuorum vasorum; nam 1. Sicut vacua vasa aquis supernantant, fundum non petunt; ita hypocrite in alto semper, non autem in fundo humilitatis detineri volunt. 2. Sicut res vacuæ sunt facile mobiles; sic hypocrite leves et inconstantes. 3. Sicut vasa vacua pulsata resonant; ita hypocrite læsi remurmurare solent. 4. Sicut res vacuæ, cum terra affligantur, nullum vel modicum edunt sonum, secus vero si in alto detineantur; ita hypocrite humilitati obmutescunt, elevati vero in altum omnia clamore suo complent, et jactantia. Vide Fabrum, l. c. n. 3 et seqq.

Ex occasione thematis, « Tange montes, et fumigabunt; » (Ps. cxliii, 3) potest ostendi, tribulationem esse potissimum medium, et quasi lapidem Lydium cognoscendæ hypocrisis. Eum in finem comparetur vera et falsa sanctitas fucate et natura sua pulchra imagini, et per varios actus hypocritarum, quomodo per tribulationem appareat ficta eorum sanctitas, nam. 1. Devotio eorum, qui apparere magis, quam esse devoti volunt, mox evanescit, si desolationes cons o-

lationibus succedant. 2. Humilitas eorum, qui se nequiter humiliant, evanescit, si contemnantur, ut patet in monacho, de quo supra, dictum est. 3. Patientia aliquorum, qui certas tantum cruceas a certis hominibus pati et portare volunt, facile cognoscitur, si alia tribulatio ab alio homine supportanda occurrat. 4. Zelus fictitius patet, si ad alia loca, officia, personas quis mittatur vel applicetur. (Quæ omnia facile pulchris exemplis et rationibus fusi declarare possunt.)

Ex occasione thematis: « Vox quidem vox Jacob, manus autem, manus sunt Esau; » (GEN. xxvii, 22) potest dici, quod secundum exteriorem faciem videantur quidem hypocrite similes Jacobo, tum propter nomen, quia creduntur *Supplantatores* vitiorum; tum propter simulatam fugam mundi, benedictionem a Deo obtentam, fecunditatem in filiis, id est, operibus bonis; tum propter majorem matris (id est, Ecclesie vel Religionis) erga eos affectum; revera autem manus (id est, opera) Esau habeant, cum hispidæ, id est, immortificate sint eorum actiones; vendant primogenituram pro vili lentitudine; benedictionem apud patrem amittant; odium, quo bonos persequuntur, foveant; et quia patres Idumæorum dumtaxat (id est, terrenorum) sunt. Quæ omnia facile copiosius deduci possunt.

Ex occasione thematis: « Quid existis videre? Arundinem vento agitatam? » (MATTH. xi, 7) comparari possunt hypocrite arundini. 1. Quia sicut arundo radicem habet in terra, et in aquis existit; ita hypocrite cor in terra defixum habent, et inter aquas voluptatum fluxarum morari gestiunt. 2. Sicut arundo omnivento agitur; ita hypocrite ad omnem fortunæ auram se flectunt. 3. Sicut arundo exteriori viret, intus medulla et soliditate caret; ita hypocrite foris fervorem ostentant, intus virtute carent. 4. Sicut arundo cito crescit, et cito arecit; ita hypocritarum gloria et gaudium breve est. 5. Sicut arundo Christo in manus data Indidrio illum exposuit; ita hypocrite operibus suis Christum et ejus doctrinam vilipendi faciunt.

MISCELLANEA.

QUALITAS.—Hugo Cardinalis super illud: Vos estis sepulchra dealbata, ait: Nota sepulchrum dici, quasi semipulchrum, tales

sunt hypocrite, exterius nitidi; interius fetidi. HUG. CARD. in c. xi Luc.

Fridericus III, Imperator, cum quidam diceret, se in loca abiturum, in quibus nullus hypocrite esset, respondit: Ultra Sauro-matas ergo et glaciale Oceanum tibi cundum est. Sed cum eo veneris, non omnino carebit hypocrisi locus, si modo et tu homo non Deus es. Inter mortales enim nemo est, qui non ex aliqua parte fictus fucatusque sit. LANGIUS, in *Polyant.* v. eodem.

Recte hypocrite idolo Baal comparantur, quod foris inauratum, sed intrinsecus lutum et ærum erat; nam et illi intrinsecus lutei, et forinsecus aurei per fictam sanctitatem apparent. DAN. xiv.

Quod uxori Jeroboam Abias Sacerdos dixit, hoc plurimis hominibus applicari potest: Ingrederet, uxor Jeroboam! Quare aliam te simulat? Ego autem ad te missus sum durus nuntius. III REG. xiv.

Similes sunt hypocrite tormentis bellicis per propugnacula dispositis, quæ magnam quidem aspectibus terrorem inferunt, sed pulvere et globis vacua sunt, ideoque inania terriiamenta. STRAL. text. i in *Domina.* 5 post *Pent.*

Ut natura differt ab arte, ita vera justitia ab hypocrisi; æque enim justitia laborat in solis intrinsicis perficiendis, et hypocrisis in extrinsecis, sicut ars pictoria tantum exterius perficit imaginem, natura vero etiam interiora producit.

Diogenes musicos in Jus vocabat, quod, cum lyre chordas aptarent, animi mores inconcinnos haberent. Quidni idem de hypocrisis sentiatur? LAERT. l. vi.

Adolescenti cuidam levissimo de temperantia et sobrietate in Senatu Romano graviter disserenti responsum erat: Quis te ferat ædificantem ut Crassus, cœnantem ut Lucullus, loquentem ut Cato? Hæc applica ad hypocrisis.

Recte hypocrisis dicitur, quod Spathario Regis Titulæ S. Benedictus dixit: Deponæ, fili, deponæ, quod geris, nam tuum non est. *Brev. Rom. in festo S. Ben.*

DAMNUM.—S. Greg. Turonensis dicebat: Hypocrisis similes esse feli candidæ sutoris, quæ in dies unum musculum capiebat; cumque aliquando in atramentum sutorium cecidisset, mures existimantes eam velut monastico habitu indutam carnibus vesci non audere; ideoque libere e cavernis pro-

grossos omnes ad unum peremit. S. GREG. TRA. I. I.

Seneca ait : Nullos pejus de omnibus mortalibus mereri, quam qui Philosophiam (multo magis Evangelicam doctrinam) velut aliquod artificium venale didicerunt, qui aliter vivunt, quam vivere preceperunt. Non magis potest talis prodesse, quam gubernator in tempestate nauseabundus. Non est loquendum, sed gubernandum. SEX. ep. cii.

Qui docet, et non facit, duplex onus imponit, unum præcepti, alterum mali exempli. (Talis autem est quisvis hypocrita) nam, cum omne præceptum per se grave sit, nisi charitas, quæ omnia levia facit, accedat; ita adhuc gravius est, cum illud non ferunt, qui ad ferendum valentiores videntur. STAPLET. text. 1, l. IV, in *Dom. 2 Ado.*

Fertur Nero olim Senatores Romanos rogasse, ut in sui gratiam ludum populo facerent, et ludum histrionicum in foro Romano inter se exercerent; quod cum negarent ut alienam a dignitate sua, saltem ut larvati id facerent, petiit; quod cum subterfugere non possent, saltusque levissimos exercerent, subito latentes sub cortinis satellites prosilierunt, et omnibus larvas detraxerunt, tanto eorum pudore, ut suffecerit ad vitam auferendam. DIO. LASSIUS, in *Nevone*.

Canna palustris juxta aliam saccaream et melleam arundinem uno anno sic excrecens, ut aliquot cubitis altior altera esset, comasque et folia late explicans, saccaream velut parvam et gracilem cum despiceret, hæc modeste respondit, non invadere se excelsum verticem, nam excelsas arbores plerumque infrugiferas esse, ac ignis pabulum, sed et ipsam omni fructu vacuum brevi confringendam, ignique adjudicandam esse; se vero in pretio habendam, ac in dulcissimis dominorum cellaris asservandam. Idem hypocritis olim eveniit. SCYRIL. I. I *Apol. mor.* c. xiv.

Achab, quia mutato habitu se in aciem immisit, telo percussus interit. Idem timeant hypocrite, si alios se fingant, bonisque admisceant, HI REG. XXII.

AXIOMATA.

Recte de hypocritis et moribus hujus temporis dixit nonnemo :

Amiss mille jam peractis,
Fides nulla est in pactis,
Mel in ore, verba lactis.
Fel in corde, fraus in factis.

ESSELGR. in *Dom. 5 post Pent.*

Communi olim proverbio dicebatur : Malum, ubi se bonum simulat, ibi pessimum esse. LANGIUS, in *Polyant.*

AUCTORES.

Josephus Langius, in *Polyantho*. V. eod. Joannes Bascus, in *Panario*. V. eod. Jacobus Marchantius, in *Tubo Sacerdotati* tract. 1, lect. v.

Ludovicus Granatensis, in *Sylva locorum communiuum* fol. 603.

Thomas Stapletonus, in *Promptuario*, text. 1 in *Dom. 3, post Pent.* et text. v, *Dom. 12 post Pent.* et l. 1, *Dom. 22 post Pent.*

Joannes Madraus, in *Loci Commun. similium*. V. eodem.

Henricus Engelgrav, in *Dom. 5 post Pent.* Josephus Mansi, in *Bibl. moral.* tr. xxxiii.

INFERNUS.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est locus iis destinatus, qui lethali peccato obnoxii, impenitentes vita decedunt; ubi cum Dæmonibus, beatifica Dei visione, et bonorum omnium æterna fruitione orbat, æternis autem grassantis flammæ ardoribus addicti, sine fine, requie, et intermissione ardebunt. Claris alii se describunt : Infernus est locus subterraneus damnatis angelis et hominibus paratus, in quo est omnis boni absentia, omnis mali presentia, omnis pœnæ indisenientia. Vocatur etiam in Scriptura *Gehenna*, ob comparationem cum valle profunda prope Jerusalem, ubi Judæi idolo Moloc filios suos in igne immolabant, et ne pereuntium ejulatus audiretur a parentibus, tympanum pulsaba-

tur, qui locus *Gehenna*, sive *Tophet* appellatur. *Pædog. Christ.* p. I cap. viii, §9.

DIVISIO. — Dividitur hæc inferni pœna communiter in pœnam *damni* et *sensus*; quarum prior privatione visionis beatificæ, posterior in dolorum sensibilium inflictione consistit; cum enim Divina Justitia secundum doctrinam DTHOM. æqualitatem postulet, in culpa autem duo interveniant, aversio a Deo et conversio ad creaturas, quibus Deum postponit peccator justum, omnino videtur, ut nec in conspectum hujus beneficium unquam admittatur, nec a creaturis aliud, quam tormenta experiatur. STANON. III *contr. Gent.* cap. cxliii.

Pœnæ particulares.

Prima *Tenebræ*, juxta illud Christi: Mittite eum in tenebras exteriores (MATTH. XII, 13); ut, quemadmodum SAUGUSTINUS discurrit: Penitus extra Deum sit, quisquis, dum tempus est, corrigi noluerit. SAGG. in *Ps. vi*. Hinc Isaias clamat: Tenebræ et palpato factæ sunt super speluncas, usque in æternum. Is. XXXII, 14. Atque adeo hortatur Jeremias: Date Domino Deo vestro gloriam, antequam contenebrescat. JER. XIII, 16.

Secunda, *Fletus*, juxta illud Matthæi: Ibi erit fletus et stridor dentium. MATTH. XIII, 42. Fletus quidem, ut SBERNARDUS ait, ob ignem, qui non extinguitur; stridor vero ob vermem, qui non moritur. SBERN. s. viii in *Ps. Qui habitat*. De quo fletu recte SCYRILLUS, illic, ait: Ingemiscunt assidue, nec ullus miseretur; clamant de profundis, et nemo flectitur; lamentantur, et nullus eripit.

Tertia est, *Fames et sitis*, juxta illud SDAVIDIS: Fames patientur ut canes. PSAL. LVIII, 7. Et bibent de vino iræ Dei. APOC. XIV, 18. Sicque implebitur Prophetia Isaie dicentis: Ecce servi mei comedent, et vos esurietis. Ecce servi mei bibent, et vos sitiatis. ISAI. LXV, 13.

Quarta, *Fetor*, juxta illud Apocalypsis: Pars illorum erit in stagno ardenti, igne et sulphure. APOC. XXI, 8. Quam gravis autem hic fetor futurus sit, ex SBERNARDI Bonaventuræ testimonio colligi potest dicentis: Si vel unus damnati cadaver in orbe hoc nostro sit, orbis totus ab eo inficeretur. APUD DREX. c. v. *Rog. dam.*

Quinta, *Ignis*, juxta illud SMAREI: Ubi

vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur. MARC. IX, 46. De quo ipse Deus: Ignis, inquit, succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima. DERT. XXXII, 22. Et claritas SHERONIMI: In uno igne omnia supplicia sentiunt in inferno peccatores. SHER. in *Pœn.*

Sexta, *Vermis*, juxta citatum DMAREI textum, qui quidem duplex est, Innocentio teste, interior, qui radit cor; exterior, qui radit et urit corpus. ISNOC. I. III, de *Miseriis hom. vit.* c. n. Hic est vermis, inquit DBERNARDUS, qui non moritur, memoria præteritorum. Semel injectus, vel potius innatus per peccatum, hæsit firmiter, numquam deinceps avellendus. Nec cessat rodere conscientiam, eaque pastus esca utique inconsumptibili, perpetuat vitam. Horreo vermem mordacem, et mortem vivacem. Horreo incidere in mantis mortis vivens, et vite morientis. SBERN. lib. V de *Consid.*

Septima, *Locus*, de quo Job: Dimitte me ergo, ut plangam paululum dolorem meum; antequam vadam, et non revertar ad terram tenebrosam, et operam mortis caliginæ, terram miserie et tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. JOB. x, 21. De quo loco patet SBERNARDUS sic loquitur: O regio dura et gravis, regio extimescenda, regio fugienda, terra oblivionis, terra afflictionis, terra miseriarum, in qua nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Locus lethifer, in quo ignis ardens, ubi frigus rigens, vermis immortalis, fetor intolerabilis, mallei percutientes, tenebræ palpabiles, confusio peccatorum. Totus tremo atque horreo ad memoriam istius regionis, et concussa sunt omnia ossa mea. SBERN. s. de *quinque Region.*

Octava, *Societas*; nam, ut Cassianus ait, ibi atrociter sane Angeli commorantur, quorum brachia sunt ut capita Draconum, quorum oculi igneas ex se sagittas emittunt, quorum dentes ut elephantis prominent, et stimulant ad tormentum ut eandem Scorpionis, quorum aspectus dolorem inducit, tremorem, ac mortem CASSIANI, in *Confess. Theol.* p. III. Et hi nempe sunt Spiritus illi, qui, teste SIRACIDE, ad vindictam creati sunt, et in furore suo firmaverunt tormenta sua (ECCL. XXXIX, 33); ut, quemadmodum EIRANUS loquitur, qui fuerunt illis voluntarie subiecti in culpa, eis involuntarie subiciantur in pœna. Nec credat quis solatium